

CATULLI IN CAESAREM CARMINA

I De Caesare et Pompeio urbis vilicis optimis

c. 29 Quis hoc potest videre, quis potest pati . . .

„No poem of Catullus is more famous than this“ ait Robinson Ellis, A commentary on Catullus (2. ed. Oxford 1889) p. 95; at famosissimi carminis a. 55/54 scripti sensum integrum restituere adhuc nemini contigit, quia paenultimi versus 23 lectionem traditam *opulentissime* vel per metrum intolerabilem nemini adhuc sanare contigit. atque adeo omnem viam invecitivam iamborum in Caesarem missorum Catullus versibus duobus ultimis carminis ad culmen duxit. unde fit, ut ex illis versibus probe intellectis interpretatio plena totius carminis pendeat:

Eone nomine urbis opulentissime
socer generque perdidistis omnia?

Quod etsi summum momentum ad sales nigros accurate definiendos Caesari a Catullo adpersos versus 23 recte supplementus habeat, tamen „to emend the almost desperate opulentissime“ aequae atque Ellis l.l. p. 105 omnes fere editores et commentatores Catulli periculosissimum esse duxerunt. quibus criticis etiam recentioribus vix plus quam illud acceptum fertur, quod coniecturas vetustiores ad *opulentissime* sanandum allatas a Scaliger, Godofredo Hermann, Lachmann, Haupt, Munro, aliis, argumentis idoneis refellerunt. nec vero meliora ipsi invenerunt editores sive Britannici, sive Francogallici, aut Itali aut Theodisci, qui quamquam ex parte de recensendo Catullo egregie meruerunt, nihilo minus in c. 29 v. 23 corrigendo periclitati sunt ad unum omnes, cum quod posuerunt, dubitanter tantum plerique ipsi proferrent, nedum aliis probarent. itaque sobrietate excellentes inter editores optimo iure scriptioem insanam *opulentissime* asterisco corruptelae notatam in textu reliquerunt, dedignati incertiora Catullo obtrudere. atque sic fecit etiam novissimus et litteratissimus commentator Catulli Vilelmus Kroll, C. Valerius Catullus (2. ed. Lipsiae 1929) p. 56.

In hoc statu quaestionis, quid sub *opulentissime* codicum lateat, scire velle paene dedecet peritum philologum. at et ex longinquo intonat symbolum Ritschelii „nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet“, nec vero ex superbia Bonnensi hoc verbum dictum est, sed ex animo non fracto laboribus et confidente vividam vim rationis victuram esse. inde ut via ac ratione locum impeditissimum expediam, primum ea dico, quae inter omnes, qui in hac difficultate sudarunt, constant. illud autem nemini dubium esse visum est, lectionem traditam nec ferri posse et ortam esse ex coniectura librarii semidocti aevo imperatorio in Catulli memoria perpoliendi occupati. qui librarius vel saeculi IV melius quam artem graecanicam neotericorum novit artem metricam Plauti et Terentii. quorum Plautus fecit Trin. 493 „aequo mendicus atque ille opulentissimus censetur censud ad Acherontem mortuos“. sic clausulam senarii *opulentissime* tribuit Catullo pro puris iambis scriba semidoctus, qui ex litterarum compage insana aliqua in codice Catulliano inventa vocem latinam et sententiam grammaticis tolerandam restituere nixus est. quam sententiam quomodo struxerit suo arbitrato iste, apparet. *opulentissime* pro *opulentissimae* ex more aetatis scriptum traxit ad *urbis*, atque genitivum *urbis opulentissimae* ab *omnia* pro substantivo sumpto pendere iussit. unde enuntiatum evasit: „socer genereque perdidistis omnia urbis Romae opulentissimae.“

Quae vero monstruosa compages litterarum in codice Catulliano scribis exeuntis antiquitatis se obtulerit, de ea re critici nequaquam consentiunt. immo quae est varietas coniecturarum ad locum emendandum propositarum, a sua quisque coniectura proxime absentem complexum litterarum, qui coniecit, substituit. qua in re quibus explicationibus palaeographicis spinosis vel captiosis singuli emendatores se dederint, prae numero nimio coniecturarum referre supersedeo. ut tamen exemplo utaris, vide qualibus in quisquiliis palaeographicis operam et oleum perdiderit inter recentiores commentatores G. Friedrich, Cat. Veron. liber (Lipsiae 1908) p. 174. me vero si interrogas, quid litterarum fuisse suspicer hoc codicis loco inquinato, ex quarum litterarum congerie caeca interpolator *opulentissime* fecerit, Sibyllam vereor ne primo obtutu respondere credas scribente me *opuliceitimei*. quod monstrum scriptiois sic ortum est, ut *uilicei optimei*, quod Catullum scripsisse meo Marte probavero, malo fato et somnolentia scribae perturbationem passum sit. nimirum *uilicei* in archetypo vetere

a prima manu omissum, deinde ab altera manu correctoris inter lineas supra *optime* additum, in textum falso loco medio inter syllabas *op* et *timei* rediit.

Sed ut scriptionem meam *uilicei optime* defendam sensum invectivum dictionis explicans, interim revertor ad ea, quae inter omnes aut certe plurimos editores Catulli locum tractantes constant. qui critici non tantum in eo consentiunt, quod traditam lectionem *opulentissime* casu non ortam, sed ab interpolatore sciolo novatam esse pro certo habent. immo insuper in eo conspirant editores longe plurimi, ut allocutio quaedam cum ironia facta Caesaris et Pompei, soceri generique in fronte versus ultimi appellatorum, clausulae paenultimi *opulentissime* subsit. iam vero quaeritur, quorsus ironia ista pertinuerit. quae quaestio ratione ea profliganda est, ut crimina Caesari toto carmine adpersa deinceps recolantur. atque adeo impudicitia Caesari opprobrio a Catullo datur. nam poeta non tantum v. 10 „es impudicus et vorax et aleo“ convicio flagitioso Caesarem polluit, sed etiam allocutione probrosa lacessivit semel atque iterum posita v. 5 et 9 „cinaede Romule, haec videbis et feres“. unde G. Friedrich l. l. p. 174 s. o *putissime* pro *opulentissime* cum B. Schmidt scripsit exempla afferens, quibus impuri cum ironia „purissimi“ sive „pudicissimi“ vocantur.

Attamen hac via ad sensum definiendum, qui allocutioni ironicae ex deperdito *opulentissime* eliciendae subsit, nequaquam pervenitur. nam cum Catullus praeter Caesarem dicto uno eodemque etiam Pompeium compellaverit, sententia a Friedrich posita: „eone nomine, urbis o putissime, socer generique perdidisti omnia“ una cum Caesare Pompeius quoque impudicus fuisse perhibetur. iam vero rogo, quo tandem loco Catullus Pompeium impudicitiae accessiverit. Friedrich quidem p. 169 v. 13 s. „ut ista vostra diffutata mentula ducenties comesset aut trecenties“ sic intellegebat, ut Pompeius quoque pathicus fuisse diceretur. quam tamen opinionem merito refutavit W. Kroll p. 55: „Erotische Beziehungen des Mamurra zu den Triumvirn soll natürlich vostra mentula nicht ausdrücken“. nam etsi *vostra* pro tradito *nostra* v. 13 merito substituitur, tamen Catullus, ut ex v. 14 cognoscitur, tantum ditatum et locupletatum a Caesare et Pompeio esse Mamurram hoc carmine in mente habuit. nec verò sobria interpretatio versuum 13 s. eo infringitur, quod amicus Catulli, Calvos iocosus carmine Pompeium impudicitiae arguit teste Seneca, Contr.

VII 4, 7 „digito caput uno scalpit, quid credas hunc sibi velle? virum“. quo iure autem dictio proverbialis „digito caput uno scalpit“ ad cinaedum referatur, v. A. Otto, Die Sprichwörter der Römer (1890) p. 116 s. verum reapse nil nisi genuinum quendam morem Pompei caput digito scalpentis in causa fuisse, ut pathicus ab obtrektoribus iniquissimis vel ex testimonio Plutarchi, Vita Pomp. 48 diceretur, iam apud veteres Ammianus XVII 11, 4 cum satisfactione Pompei abunde explicuit. certe apud Catullum neque in iambis carminis 29 nec ullo alio loco insectatio eius generis Magni fit. quamquam haud ignoro, epigramma c. 113 „Consule Pompeio“ . . . quo epigrammate matronae cuidam Maeciliae adulteria innumera obiciuntur, a nonnullis ut L. Schwabe, Quaest. Cat. (Gießen 1862) p. 211 ss. pro carmine invectivo in Muciam Pompei haberi. quo tamen in epigrammate mutationem nominis Maeciliae in nomen Mucillam pro Mucia accipiendum, a Pleitner propositam multisque probatam equidem vel ideo improbo, quia gens Maecilia in titulo Veronensi CIL. V 3755 occurrit. ceterum de Mucia, cui Pompeius redux ab Asia repudium misit, sermo plurimus apud veteres est, quem locum paene communem tractavi Diatriba in Sen. phil. frg. I De matrimonio (1915) p. 347. atque in narratiunculis de Mucia cum impudicitia matronae maxime reprehendatur, ibidem iuvat videre maritum Pompeium ab omni crimine liberum manere. unde insubidissime Friedrich Pompeium coniectura *o putissimei* aequo loco cum Caesare habuit, praesertim cum, ut M. Brutus apud Suetonium, Iul. 49 refert, Octavius quidam, valetudine mentis liberius dicax, conventu maximo, postquam Pompeium „regem“ appellavit, Caesarem „reginam“ salutaverit. de voluptatibus veneriis Divi Iulii non ob omni labe immunibus constat. quo de imperatore milites versibus popularibus canebant: „Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem“, qui insuper ab iisdem militibus cantilena alia „moechus calvus“ dicebatur, in oratione autem a Curione: „omnium mulierum vir et omnium virorum mulier“ teste Suetonio, Iul. 52 appellatus est. denique „Aegisthus“ tempore dato a Pompeio vocabatur, quia Caesar ne a Mucia quidem Pompei in Asia absentis abstinuerat.

Alteram viam inierunt Lachmann et Haupt, ut ironiam inderent allocutioni ex *opulentissime* restituendae. qui scripserunt *o piissimei*, cum Haupt insuper *orbis* pro *urbis* posuerit. ubi ironiae ratio ex eo repetitur, quod pietas affinium in rebus legitimis se invicem sublevare debentium iam hoc loco in rebus

nequissimis fiat. ceterum proprium sensum coniecturae Hauptianae W. Kroll l. l. p. 56 facunde explicuit, quippe cui ea coniectura prae ceteris placuerit, etsi aliquatenus claudicare non potuit negare eandem: „Die wahrscheinlichste Emendation ist die von Haupt, die den gefälligen Gedanken ergibt, daß Caesar und Pompeis die zwischen Schwiegervater und Schwiegersohn herrschende pietas dadurch betätigen, daß sie gemeinsam den Staat ruinieren; doch mißfällt orbis, das nur zu piissimi gehören könnte, im Sinne von qui in orbe terrarum piissimi estis“. multo tamen iniquius quam Kroll iudicarunt alii de scriptione o *piissimi* veluti Munro et Ellis, quorum hic l. l. p. 105 s. argumenta varia aliorum et ipsius, quae contra Haupt faciunt, sedulo composuit. mihi quidem scriptio orbis o *piissimei* praecipue ideo displicet, quia pietas, sive laudanda, sive reprehendenda, inter socerum Caesarem et generum Pompeium nullo loco apud veteres in sermonem venit, neque apud Ciceronem, qui Ad Att. II 9, 1 de *dynastis* cum ironia loquitur, neque apud Varronem, cuius Trikarani Menippeae dictum aliquod de pietate inter Caesarem et Pompeium ludibrio habenda dignissimum memoria futurum fuerit, neque apud historicos Velleium, Suetonium, Florum, Plutarchum, Appianum, Dionem, quorum Velleius II 44, 3 affinitatem inter Caesarem et Pompeium nuptiis Iuliae contractam memorat, Florus IV 2, 13 Caesaris filiam nuptam Pompeio generi socerique concordiam matrimonii foedere continuisse dicit, Dio XXXVII 57 pactum iureiurando firmatum esse. sic loci in promptu sunt, ubi pietas, fides sincera, amicitia pura Caesaris et Pompei proferri poterant, dummodo eius generis rerum quid in medium ferendum historicis ad manum fuisset. quodsi pietas inter Caesarem et Pompeium nullum locum apud veteres de pacto soceri generique referentes sibi vindicat, longe accessit coniectura, qua pietati eorum illudens Catullus inducitur. nec vero poeta ipse in iambis c. 29 extra coniecturam Lachmanni et Hauptii aliud quid Caesari et Pompeio societate iunctis exprobrat, quam quod communiter Mamurram pascentes omnia perdididerint. ergo correptio moralis cum emphasi facta orbis o *piissimei* ex conscientia morali Lachmanni et Hauptii nata est ab antiquitate aliena.

Relinquitur ut lectionem *uilicei optime* mihi pro *opulentissime* placentem explicem. quam lectionem, qua ratione palaeographica multo proprius quam priorum coniecturas abesse a tradito *opulentissime* effecerim, v. supra p. 2 s. venio

ad sensum sententiae declarandum et qua cum ironia dicta sit. atque adeo plus quam impudicitiam Caesaris toto carmine Catullus *sinistram liberalitatem* eius corripit, cui indulgens „Romulus“ iste novus pecuniam publicam in Mamurram effuderit. quod opprobrium ex opprobriis diversis „impudici, voracis, aleonis“ in Caesarem iactis unicum exstat, quod aequè ad Pompeium atque ad Caesarem quadret. neque enim solus Caesar ditavit Mamurram, sed Catullus v. 18 „secunda praeda Pontica“ diserte etiam expeditionem Ponticam Pompei commemorat. unde ex aequo poeta ut Caesari socero ita Pompeio genero crimini et vitio vertere potuit, quod Mamurra immodice locupletatus sit, quam rem iam Schwabe, Quaest. Cat. p. 210 bene intellexit. quamquam autem expeditio Pontica Pompei in a. 64/3 ante foedus cum Caesare a. 60 initum cadit, tamen Pompeius item ut Caesar noxius legis Vatiniae a. 59 latae est, qua lege „senatui dispensationem aerarii ereptam esse“ a. 56 Cicero, In Vat. 36 queritur. unde apparet via, qua *opulentissime* emendandum sit. non in privata lite, quae Catullo cum Mamurra erat, Romae et Veronae helluante et apud Veronenses in cubilibus familiarium Catulli moechante, acumen iamborum summum ponitur, sed in lite publica, quae urbi populoque Romano cum „dynastis“ Caesare et Pompeio erat, aerarii dispensationem sibi arripientibus. eapropter famosissimi facti sunt iambi poetae Veronensis tam apud posteros quam apud aequales, de quibus Cicero, Ad Att. II 8, 1 iam a. 59 refert: „incensam esse iuventutem adversus reges superbos nec ferre haec posse.“ ergo ex nulla nisi hac re deducendus est sensus allocutionis soceri generique cum ironia dictae, quae sub voce interpolata *opulentissime* lateat. atque ut interim dictionem ipsam a Catullo adhibitam parum curem, sed sensum tantummodo allocutionis ironicae definiam, „dispensatores optimi aerarii urbani“ socer generque Catullo vocandi erant.

Caesar Augustus Alexander Severus de se dixit teste Hist. Aug. Lampr., Alex. 32, 4 „nefas esse, ut dispensator publicus in delectationes suas et suorum converteret id quod provinciales dedissent“. translato igitur usu vocabuli *dispensatoris* Alexander Severus sese „dispensatorem publicum“ vocavit, nec offendit in eo, quod servus potius aut libertus apud Latinos *dispensator* audit. veluti Gaius, Inst. I 122 servos dispensatores appellari dixit, quibus administratio pecuniae a domino permittitur. atque per totam Latinitatem dispensator appellatur publicus privatusque administrator, imprimis pecuniarum

et fiscalium distributor, procurator, servus a rationibus; cf. Thes. l. L. V 1 p. 1400, 12 ss. iam vero consimili translatione, qua dispensatorem publicum Severus gerere diligentissimum voluit, idem Severus titulo „vilici“ boni se ornavit ibid, 15, 3 „malum populi vilicum esse imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios nec rei publicae utiles pasceret“. unde apparet, quo iure Catullo licuerit, Caesarem et Pompeium, aerarii dispensationem adeptos, „vilicos urbis“ appellare. quin illud quoque hinc manifestum fit, qua cum ironia Catullus pecuniam publicam in Mamurram effundentes allocutione „urbis vilicos optimos“ salutaverit. nimirum sermonem multum de bonis malisve vilicis apud agrorum et fundorum dominos Romae fuisse, ex Cicerone dicitur, Verr. IV 119 *bonum vilicum* in imagine eum propraetorem appellante, qui in provincia administranda probissime egerit. quo verbo Tulliano insuper hoc intellegitur, magistratum Romanum facile cum vilico comparari, etiamsi *vilicus* aequae ac *dispensator* servum aut libertum proprie significat. ceterum ex servis et libertis optimus quisque et diligentissimus ab ero ad curam villaticam gerendam evocabatur, quibus vilicis aequati Caesar et Pompeius Mamurram foventes *urbis vilici optimi* salso sensu meruerunt appellari.

At cum ad Alexandrum Severum sese vilicum dicentem provocaverim et ad Ciceronem, Verr. IV 119 propraetorem Romanum cum vilico comparantem, tamen nequaquam omnia exhausti, quae ad usum Catullianum vocis *vilici* defendendum habeo. immo evidentiora exempla alia, vel Tulliana eius usus in promptu sunt. quod eo secundiis fit, quia inter Scriptores hist. Aug. et Catullum longa saecula intersunt, deinde quia ex coniectura tantum, quamvis palmari Salmasii Script. Aug., Alex. 15, 3 *populi vilicum* legitur, codicibus *pupillum* pro *populi vilicum* praebentibus. quae coniectura, etsi ab Hermanno Peter, editore sobrio et perito Script. hist. Aug. in textum recepta est, eademque verbo sermonis rustici *pasceret* in sententia: „qui (vilicus) homines non necessarios . . . pasceret“ admodum probatur, tamen ab editore novissimo E. Hohl in apparatus criticum reicta est. qui editor *malum publicum* ex *malum pupillum* ipse titubans fecit atque in apparatu ea ratione de emendando loco adnotavit, ut verear, ne usus translatus vocis *vilici* eum praeterierit. ideo hunc usum substitivi, verbo quoque *vilicandi* in censum vocato, breviter adumbro designans viam, qua proprius usus in translatum deflexerit.

atque cum de propria vi vocis *vilici* a *villa* derivatae constet, id nihilo setius notatu dignum est, quod senatus quoque rei publicae Romanae munus servile vilicandi subiisse perhibetur apud Plin., Nat. hist. XVIII 39 „qui mortuo vilico relinquere victorias et reverti in rura sua postulabant, . . . exercitus ducebant senatu illis vilicante“. deinde latiore significato, nec dum translato sumitur *vilicus* pro dispensatore et curatore cuiuscumque rei. velut in cura aquarum *vilici* officio fungebantur teste Frontin., Aq. II 117 p. 44, 24 Buecheler. praeterea cf. Priap. 82, 1 „vilicus aerari quondam, nunc cultor agelli“.

Iam vero translate Iuvenalis, Sat. 4, 77 s. Pegasus iurisconsultum, cui Domitianus praefecturam urbis mandaverat, *vilicum* vocavit: „Pegasus attonitae positus modo vilicus urbi. anne aliud tum praefecti?“ quo ex loco id quidem denuo perspicitur, quam proclive Latinis fuerit, vel illustrissimis viris vocabulum *vilici* indere, etiamsi in turba servorum caput non habentium vilici proprie dicti numerantur. verum ad Catulli ironiam, quae allocutioni *vilici optimi* inhaereat, intellegendam locus Iuvenalis nihil valet, quia sal saturarum scriptoris Pegasus *vilicum* vocantis ad Domitianum tyrannum praefectos pro servis habentem spectat. e contrario Catulli ironia in dictione *vilici optimi* tota pendet ex virtute vilicorum, qua excellentes servi optimi et probissimi ad vilicandum delegantur. quocirca locum maxime idoneum, quo quidem Catulli appellatio Caesaris et Pompei ironica declaretur, Cicero offert in oratione pro Plancio anno 54 habita, quo anno eodem Catullus iambos suos in Caesarem misit. ibi igitur Cicero vilicos summa cum dignatione nominat, cum magistratus populi Romani *rei publicae vilicos* esse ait 62: „Ut nos in manuciis parandis . . ., si . . . emimus . . ., sin autem emimus, quem vilicum imposeremus, . . nihil in eo nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam esse curamus, sic populus Romanus deligit magistratus quasi rei publicae vilicos; in quibus, si qua praeterea est ars, facile patitur, sin minus, virtute eorum et innocentia contentus est“. accedit idem Cicero, qui in librorum De re publica annis 54/1 confectorum libro V rectorem optimum rei publicae depingere conatus est; ubi sive Pompeium aut se ipsum in animo habuit, ut quidam docti volunt, sive generaliter novum statum rei publicae Romanae praesagiebat principatu rectoris unius auctum, utique rectori isti supra magistratus annuos posito *vilicandum* esse in re publica dixit V 5 „ergo, ut vilicus naturam agri novit, . . . sic noster hic rector studuerit sane iuri et legibus cognoscendis,

. . . sed se responsitando et lectitando et scriptitando ne impediat, ut quasi dispensare rem publicam et in ea quodammodo vilicare possit“. quodsi Catullus aequae atque Cicero de rectoribus rei publicae extra magistratus annuos dominantibus loquitur, vix potuit, sub annis iisdem eodemque sub fato rerum Romanarum atque Cicero scribens, alia voce quam *vilici* uti ad Caesarem et Pompeium significandos, tunc urbis rectores et dispensatores aerarii.


Versu ex puris iambis constituto:

E one nomine urbi' vilicei optimei,

quod littera *s* post brevem vocalem ante consonam vim suam amittit, id tantum abest, ut scriptioni *vilicei optimei* obsit, ut eam commendet. quā quidem ex causa commendet, de eo infra p. 11 s. brevis ero, cum primum exposuero, quo iure Catullus semel atque iterum in eam consuetudinem prosodiacam inciderit, quam ex verbo Ciceronis, Orat. 161 vetustiores inter poetas saeculi Tulliani *politam* habuerunt, recentiores *subrusticam*. Catullus autem certe semel c. 116, 8 „at fixus nostris tu dabi' supplicium“ consuetudinem antiquiorem tuetur. quo loco codicum fidem nemo addubitavit. nec ulla ratio obstat, quin altero etiam loco Catullum consuetudini eidem indulgentem faciamus, quia peculiaris causa a versu 116, 8 abest, cur solo illo loco poeta a recentiore consuetudine declinaverit. utique miro lapsu obstringitur F. Leo, Plaut. Forsch.² p. 255, qui omnium carminum Catullianorum nobis servatorum primum ab adolescentulo carmen 116 in Gellium factum esse voluit, ut inde vim litterae *s* neglectam declararet. immo septem carmina in Gellium, quorum c. 116 est, universa iis demum annis a Catullo composita sunt, quibus cum Clodia amore iungebatur; quocirca ne eam quidem quaestionem tangere attinet, utrum inter carmina in Gellium carmen 116 primum panctum sit, ut L. Schwabe, Quaest. Cat. p. 101 s. arbitratus est, an carmen 74 Kroll l. l. p. 246 primum fuisse merito dixerit. quodsi nulla ratio peculiaris inveniatur, quamquam multi etiam praeter Leo invenire temptarunt, cur vis *s* litterae c. 116, 8 neglecta pro exceptione non iterata a Catullo nobis habenda esset, res redit ad id, quod Kroll l. l. p. 289 ad *dabi'* adnotavit: „Mehr darin zu sehen als bloße Bequemlichkeit, liegt keine Veranlassung vor“.

Attamen, si me audis, non solum lassitudo Catulli in causa fuit, cur locis duobus *s* finalem detraheret, sed aliud

accedit. nimirum quod Cicero, Orat. 161 consuetudinem s suppressae *olim politioorem* fuisse, iam autem *subrusticam* esse dicit, haec vox non ad Ennium et priscos poetas potissimum spectat cum usu recentiorum conferendos, sed Cicero praesertim poetas sub Sulla et sub adolescentia ipsius florentes in animo habet. Sullanae autem aetatis poetae non sic se gesserunt, tamquam si admitterent metri necessitate coacti cum pudore pronuntiationem rusticam, sed scientes eum usum coluerunt ut politum. velut Cicero ipse elegantiam numerorum infringere nequaquam sibi visus est versus faciens ut Arat. 97 „Aquiloni’ locatae“ et 121 „Orioni’ iacet“. deinde quod loco eodem Orat. 161 *poetas novos* a detrahenda s abhorrere Cicero comonnet, Oratorem scripsit a. 46, quo tempore Helvius Cinna a Vergilio, Buc. 9, 35 maxime laudatus aliique poetae Catullo circa a. 87 nato multo minores natu iique utique illi dudum superstites Alexandrinos imitabantur. non si *novi* illi, quos Tullius a. 46 in mente habebat, poetae paene aevom Augusti attingentes strictam legem sibi imposuerant, ut litteram s detrahere utique desinerent, idcirco putandus Catullus est legem fecisse ex more sibi maxime placente. itaque ut iustum locum Catullo assignemus in usu prosodiaco litterae s variante per decennia vitae Tullianae, praecipue oportet lyricos Romanos aetatis Sullanae respicere, a quibus arte Alexandrina iam pridem magnopere pollentibus Catullus adulescens didicit. quidni tibi dedero Carmen epigraphicum 934 Buecheler Pompeis in pariete theatri tecti repertum, quod sub Augusto inscriptum, tamen ad exemplar aetatis Catullianae redire neque anno 54 recentius esse Buecheler, Kl. Schr. II p. 495 ss. monuit. quo carmine amatorio auctor miserias animi sui oculis ipsius narrat felicissime exprimens sensus delicatos mollesque Alexandrinae poeseos. unde tam ex indole argumenti suavissima quam ex latinitate propria poetae rursus illud efficitur, originem carminis vix ultra consules, quibus Catullus natus est, ascendere. iam vero in hoc epigrammate dignissimo, ut neoterici quid sapere dicatur, littera s finalis vim suam amittit v. 2 „non ad vim vestreis largificati’ geneis“. denique quod hoc epigramma Buecheler l. l. cum frustulis lyricorum Romanorum Sullana fere aetate scribentium a Gellio XIX 9 relatis apte composuit, haec frustula, „quibus mundius, venustius, limatius, tersius Graecum Latinumve nihil quicquam reperiri posse“ Gellius suo Marte XIX 9, 10 affirmat. littera s finali amissa; cf. Gell. 9, 12 „quid faculam praeters, Luleros, quae nil opu’ nobis? ibimu’



sic, lucet pectori' flamma satis"; et *ibid.* 9, 14 „ibimu' quaesitum. verum ne ipsi teneamur, formido. quid ago? da Venu' consilium“. ab hac igitur arte cum Catullus nutrimenta puerascens acceperit, intellegitur, cur satius habuerit, appellatione *urbis vilicei optimei* nervosam sententiam cum usu litterae s ex more vetustiorum lyricorum Romanorum detractae in publicum mittere, quam „Euphorionis cantorum“ elegantiam novam vel cum damno nervorum utique affectare.

Nec vero toleranda tantum est antiquior consuetudo prosodiaca Catulli in *urbis vilicei* obvia, sed animo haud invito accipienda, quia editores Catulli nunc cum maxime decet antiquiora protrahere. nam textus Catulli, qualem codices offerunt, redit ad recensionem aetate Martialis sub Flaviis factam, ut F. Leo, *Plaut. Forsch.*² p. 38 statuit. quae tamen editio, etsi non caruit cura grammaticorum, nihilo minus ea aetate facta est, qua artis magistri antiquiorem latinitatem paene despectabant. unde periculum fuit, ne Catulliani autographi rationi orthographicae aliisque documentis stili vetustioris observandis conservandisque parum consuleretur. immo ut lectoribus textus facilis lectu pararetur, in eo poeta recensendo proximum erat, qui ad tractandum in schola vix idoneus fuit. ergo aut fallor aut iam aetate argentea item ut saeculis inferioribus proprietates sermonis vetustioris in Catullo passim oblitterabantur et, quoad fieri poterat, ad normam latinitatis Augustae vel argenteae redigebantur. unde factum est, ut scribae inferiores potissimum in vestigiis residuis latinitatis antiquioris sibi insolitis offenderent iisque ipsis locis textus iterum atque iterum in corruptelam incideret. quocirca in emendando Catullo occupatos editores abhorrere nefas est a repetenda ex corruptelis antiquiore consuetudine, etiamsi ea in recensione Catulli argentea aetate facta auctoritate mediocri utatur. sic *alitebos* formam, chirographo Catulli congruam, pro sollemn *halitibus* restitui in *Coma Berenices* c. 66, 54 *Mus. Rhen.* 90 (1941) p. 109 ss. quae forma a scribis aevi imperatorii non intellecta primum abiit in *alitecos* i. e. *alit equos*, deinde in *ales equos*, i. e. struthocamelum. qui struthocamelus Arsinoes per saecula interpretes Catulli ludibrio habuit, quia eos Catullum veteris orthographiae et formarum postea abolitarum vindicem haud spernendum esse latuit. plura autem de Catullo antiquiori latinitati inhaerente iam congressit H. Heusch, *Archaisches und Volkssprachliches bei Catull* (Diss. Bonn 1944). quae cum ita sint, haud scio an in lectione *urbis vilicei optimei* vox *vilicei*

post *urbis* obvia scribis primam ansam dederit ad textum corumpendum; quae vox ut cursum numerorum turbans in marginem aut supra lineam relegabatur. quid multa? non minuitur fides scripturae *urbi' vilicei optimei* historia textus Catulliani respecta, sed nova ratione augetur.

Appendicis instar adnoto ad synaloephen longae syllabae *-ei* ante *optimei* c. 4, 11 „Cytorio in iugo“, utpote quo loco synaloephen aequè asperam in eadem sede purorum iamborum Catullus admisit.

Die besten Hausmeier Roms

Wer kann dies sehen, wer kann ruhig dulden dies,
 der nicht ein Hurenknecht, ein Schlemmer, Spieler ist,
 daß nun Mamurra hat, was freies Gallien
 bislang besaß und äußerstes Britannien?
 Ein Weib, Du Romulus von heut', Du siehst's und trägst's?
 Mamurra nun in Übermut und Überfluß
 stolziert rundum durch aller Schönen Schlafgemach
 gleich einem weißen Tauber, dem Adonis gleich.
 Ein Weib, Du Romulus von heut', Du siehst's und trägst's?
 Du bist ein Hurenknecht, ein Schlemmer, Spieler, selbst.
 Dafür bist Du, der Feldherr, keiner groß wie Du,
 im fernsten West gewesen auf dem Inselland,
 daß dieser Euer Lüstling, ausgehurter Geck
 die Summe von Millionen auf Millionen frißt?
 Verkehrt freigebig sein ist dies wenn irgendwas.
 Hat er zu wenig noch verschwendet und verpraßt?
 Sein Vatererbe hat zum ersten er zerfetzt;
 die zweite Beute war der Pontus; drittens kam
 dann Spanien dran, das weiß der Tajo und sein Gold.
 Jetzt kommt für Gallien und Britannien die Gefahr.
 Was schenkt — verflucht! — Ihr diesem Menschen Eure Gunst,
 der nichts als fettes Erbgut zu verschlingen weiß?
 Dafür habt Ihr, Ihr besten Haushaltsführer Roms,
 Ihr, Schwiegersohn und -Vater, alles ruiniert?
 Eone nomine *urbi' vilicei optimei*,
socer generque perdidistis omnia?

Verbum *perdendi* in locutione *perdidistis omnia* ad subiectum *vilicei* tractum sensu proprio gaudet, quo caret in textu priorum *o piissimei* aut *o putissimei* pro subiecto positus. nam piissimis, ne pietas pereat, putissimis, ne pudicitia,

cavendum est; vilicis, ne pecunia in Mamurram effundatur, qui nil potest nisi uncta patrimonia devorare. ergo qui est *perdidistis omnia* flosculus fere proverbialis, apud Catullum eo significato peculiari adhibetur, quo significato pecunia resque familiaris sub dispensatore malo antiquitus perire hoc flosculo dicuntur apud Latinos occurrente inde a Plauto, *Most.* 79 *omnia periere, et aedis et ager.* similiter Horatius, *Serm.* I 2, 15 *perditum* eum vocat, cuius creditores conveniunt. quod vero Cicero anno 59 de libera re publica sub dominatu Caesaris et Pompei intereunte locutus eandem dictionem proverbialem usurpat *Ad Att.* II 19, 5 *certi sumus omnia periisse* et *ibid.* 21, 1 *Catoni irati omnia perdiderunt*, ne is quidem sensus latior flosculi proverbialis a Catullo abiudicandus est, siquidem bonus vilicus totam rem sibi creditam quam diligentissime dispensat et administrat. at aliter atque Tullianis locis Catulliano *perdidistis omnia* dictio suum acumen accipit a re pecuniaria et a Mamurra sanguine provincialium et populorum Pompeio et Caesari debellatorum pasto.

II De Roma auro Gallico a Caesare corrupta

- c. 54 Otonis caput oppido pusillum,
 Irri rustica semilauta crura,
 subtile et leve peditum Libonis,
 — si non omnia — disciplicere vellem
 Tibi et Fufidio, seni recocto.
 Irascere iterum meis iambis,
 immerentibus, unice imperator

Interpretatio huius carminis post c. 29 in eo citatum scripti omnis pendet a nomine v. 5 *Sufficio*, quod pro *Fufidio* mihi posito codices praebent, probe correcto. quod nomen *Sufficius* codicum ideo emendationis eget, quia extra Catullum gens *Sufficia* nulla auctoritate utitur, nedum caput insigne eius gentis prosopographia Romana suggerat, ad quod „senex recoctus“ a Catullo appellatus referendus esset. insuper sic cum Caesare coniunctus senex iste in carmine Catulliano appellatur, ut non de ignobili homine, sed de equite Romano aut senatore sermo sit. unde Haupt pro *Sufficio* scripsit *Fuficio*, C. Fuficium Fangonem intellegens, qui ex veterano Caesariano senator factus sub Octaviano in Africa exercitum duxit ibique sibi mortem a. 40 conscivit (cf. *Real.* VII p. 200, 9 ss.). quae Hauptii coniectura multis placuit, etsi Fango senex dictus vix

ad annum 54 quadrat. eadem coniectura vel ideo non iam in censum venit, quia Vilh. Schulze, Lat. Eigennamen (1904) p. 239 adn. 1 vocabuli *Fuficius* syllabam alteram longam esse docuit, cum metrum apud Catullum brevem exigit. ceterum rationem nemini ex vita aut moribus Fuficii Fangonis repetere contigit, cur „senex recoctus“ a Catullo diceretur. immo quaecumque historici veteres Appianus et Dio de Fuficio narrant, nihil valent ad acumen carminis Catulliani retegendum. quo carmine qui quattuor viri praeter Caesarem corripuntur, eos omnes quattuor ex una eademque causa corripit a Catullo demonstraturus sum.

Metro convenire *Fufidii* nomen, perlustratis gentiliciis nominibus a tradito *Sufficio* proxime distantibus neminem fugere potest nec fugit Vilelmum Kroll, l. l. in Addendis p. 297 ante me. meum tamen est, ex M. Fufidio equite Romano et publicano, de quo cf. F. Münzer, Realenc. VII p. 200, 56 ss. Nr. 1 et p. 202, 1 ss. Nr. 5, omnem sensum carminis Catulliani explicare. gens quidem Fufidia Arpini, in municipio Ciceronis incunabilis celebri, sedem habebat dives praediis, nummis in fenore positis, vectigalibus. qua ex gente plures gentiles municipes suos Cicero passim commemorat, inter quos unus excellit M. Fufidius, qui parcissimum vitae cultum cum divitiis insolentibus atque etiam cum duro adversus debitores animo coniungebat; qui in exemplum morale detestandus abiit apud Horatium, Serm. I 2, 12 ss. „Fufidius vappae famam timet ac nebulonis, dives agris, dives positus in fenore nummis: quinas hic capiti mercedes exsecat, atque quanto perditior quis est, tanto acrius urget. nomina sectatur modo sumpta veste virili sub patribus duris tironum“. mortuum autem M. Fufidium Horatius in satura vellicavit, qui quo anno de vita decesserit, eo cognoscitur, quod Cicero a. 47 in epistulis compluribus ad Atticum XI 13, 3; 14, 3; 15, 2 missis se coheredem ab illo scriptum esse refert. quae cum ita sint, Horatius memoria admodum recenti Fufidii eq. R. a. 47 defuncti gaudebat, ut qui a. 40 Sermonem I 2, antiquissimum omnium Sermonum composuerit. fasti autem Catulliani aetati Fufidii egregie conveniunt, siquidem calculis aequissimis apertum fit, quo iure poeta defunctum a. 47 Fufidium circa a. 54 sexagenarium habuerit. senem recoctum vero quod Catullus Fufidium appellavit, non video quid iuvet Aesonis a Medea recocti cum Kroll l. l. p. 96 meminisse. immo ethologia Fufidii Horatiana edoctus intellego *recoctus* simile quid sonare atque apud Theodiscos dictum pro-

verbi aliter: „hartgesottener Sunder“. ceterum ad duritiam Fufidii vox *recoctus* vel ideo quadrat, quia cibi quidam longius recocti in spissum et durum coagulantur. sed eadem vox convenit etiam acrimoniae et vafrutiae feneratoris, si modo arte Apicii cibi recocti passim sapore acriore inficiuntur. bene apud Forcellini-De Vit s. v. *recoctus* senex Catulli intellegitur „vir callidus et vafer ex longa experientia et usu rerum.“

Venio ad id declarandum, quae causa et ratio M. Fufidii cum Caesare fuerit. Caesar autem Gallias non tantum armis subegit, sed etiam tributis et vectigalibus coercuit. cui rei ut cum bono eventu consuleret, Romam vel ad Ciceronem litteras dedisse videtur eum adhortatus, ut sibi equites Romanos in rebus pecuniariis peritos mitteret. nempe Cicero equestri loco natus cum publicanis certe Arpinatibus municipibus suis usu perpetuo et commercio coniunctus erat, quorum fidem et diligentiam novit. ad quos Arpinates accedit Q. Lepta Hispaniensis ipse quoque vir in negotiando versutissimus, quem Cicero proconsul in Ciliciam a. 51 profectus praefectum fabrum secum duxit; cuius feneratoris Caesar una cum M. Fufidio apud Cic., Epist. VII 5, 2 mentionem inicit; de Lepta cf. Realenc. XII p. 2070, 57 ss. gazae autem Gallorum opesque ex superatis gentibus et captis urbibus coactae quantam vim ad auctoritatem Caesaris in Gallia absentis Romae firmandam habuerint, commode illustratur voce Lucani de C. Scribonio Curione, tribuno plebis urbem Caesari vendente IV 819 ss. „momentumque fuit mutatus Curio rerum, Gallorum captus spoliis et Caesaris auro. . . . emere omnes, hic vendidit urbem.“

Tribus autem locis Tullianis admodum probabile fit, M. Fufidium, quod nomen in Catulli c. 54, 5 facile ex *Sufficio* restituitur, aliquid valuisse tempore dato ad digerendas res pecuniarias Caesaris, sive exegit iste vectigalia a populis victis in Gallia, sive Romae distribuit aurum Gallicum inter eos, qui cum Caesare sentiebant. primo autem horum locorum Tullianorum M. Fufidium inter publicanos magnis facultatibus emuisse oratione a. 55 habita illustrat Cicero, In Pis. 86 „nonne cum CC talenta tibi Apolloniatae Romae dedissent, ne pecunias creditas solverent, ultro Fufidium, equitem Romanum, hominem ornatissimum, creditorem debitoribus suis addixisti?“ ex altero deinde testimonio Tulliano cognoscitur, Arpinates vectigalia in provincia Gallia habuisse, quae vectigalia Fufidia gens cum aliis gentibus Arpinatibus administrabat. quid igitur est? nonne eos, qui in Gallia cisalpina cum colonis de vectigalibus

agebant, idoneos videri oportebat etiam in transalpina Gallia ad aera et pretia exigenda? Fufidiae autem gentis Q. Fufidius Q. f., M. Fufidio anno 47 defuncto, hoc loco Tulliano a. 46 scripto nominatur Epist. XIII 11, 1 „quorum (Arpinatium) quidem omnia commoda omnesque facultates . . . consistunt in iis vectigalibus, quae habent in provincia Gallia. ad ea visenda pecuniasque, quae a colonis debentur, exigendas totamque rem et cognoscendam et administrandam legatos equites Romanos misimus, Q. Fufidium, Q. f.“ . . . denique gravissimo loco Ciceronis epistulae ad Caesarem a. 54 in Galliam missae notum fit, M. Fufidium, quod nomen ex codicum deperdita scriptura *M. itivivium* Ed. Woelfflin, Archiv f. lat. Lexikogr. XII p. 280 cum assensu omnium reposuit, a Cicerone Caesaris commendatum esse. quae res ipsis Caesaris verbis ex epistula eius transcriptis a Tullio comperta est: Caes. apud Cic. Epist. VII 5, 2 „M. Fufidium, quem mihi commendas, vel regem Galliae faciam, vel hunc Leptae delega, si vis. tu ad me alium mitte, quem ornem“. fac autem cum Woelfflin l. l. per iocum tantum Caesarem vocem de Fufidio „rege Galliae“ emisisse, abnuentem officia eius, nihilo setius aut verba Catulli c. 54, 4 s. *displicere vellem tibi* (Caesari) *et Fufidio, seni recocto* non habent, quo referantur, aut Caesar circa a. 54 utcumque adhibuit feneratorum praedivitem ad negotia gerenda M. Fufidium.

A Caesare et Fufidio qui aurum Gallicum disposuerunt, venio ad eos qui acceperunt. tria autem nomina Catullus affert, de quibus unum ex corruptela codicum recuperandum est, omnia tria disquisitionum prosopographicarum egent, ut viri a Catullo per cognomen appellati toto capite recognoscantur. haec vero recognitio sub condicionibus quattuor fit. primum ii, in quos Catullus invectus est, non possunt fuisse homines ex vulgo inertii aut turba sine nomine, ut quos neque Caesar subsidiis futurus, neque dignos invectivis Catullus ducturus fuerit. deinde ne inter viros quidem nomen habentes alii in censum veniunt nisi quos a Caesare et Pompeio foedere tunc temporum iunctis stetisse tradatur. denique annis 54/3, quibus fere Catullus c. 54 emisit, aetas conveniat virorum oportet, quos a Catullo lacessitos esse dicturi sumus. ad postremum, si modo probabiliter ex odio Catulli adversus viros liberalitate sinistra a Caesare sublevatos sensus carminis 54 repetitur, ii viri nobis in his quaestionibus prosopographicis acceptissimi videbuntur, quorum nomen in rebus pecuniariis memoria qualibet haeserit.

Haec res quattuor cadunt omnes in L. Scribonium Libonem a Catullo dictum v. 3 *subtile et leve peditum Libonis*. de quo cf. Realenc. 2. Reihe II p. 881, 58 ss. Nr. 20. nam nomen nobile Libo tulit circa a. 90 natus, qui annis 56 ss. aedilis et tribuni plebis dignitate auctus pro Pompeo maxime rem gessit. quamquam eum etiam cum Caesare familiaritate conexum fuisse probabile fit, quia ex sorore eius Scribonia posthac Octavianus Caesar Iuliam filiam sustulit. denique aere alieno passim Libo oppressus fuisse videtur, cuius creditores convenisse Cicero, Ad Atticum IX 11, 4 refert. nempe ludos Libonem summa cum luxuria edidisse testis est Plinius, Nat. hist. XXXVI 102 „cum theatrum ante texerit Romae Valerius Ostiensis architectus ludis Libonis.“

Sub corrupta codicum scriptione v. 2 *et eri* cognomen *Hirri* latere Ellis l. l. p. 185 et W. Kroll l. l. p. 95 haud inepte suspicati sunt. praesertim si Catullus aspiratione amissa *Irri* scripserat, orthographia eadem usus, qua *Irtius* pro *Hirtius* CIL. IX 3771/2 (I 625) occurrit, memoriae turbatae origo in aperto est. C. Lucilius *Hirrus*, de quo cf. Realenc. XIII p. 1642, 67 ss. Nr. 25, tribunatum a. 54 petiit, quo accepto ut Pompeius dictator diceretur, frustra intendebat. *Hirrum* autem erga Caesarem quoque propenso animo fuisse indicatur Plin., Nat. hist. IX 171 „C. *Hirrus* . . . cenis triumphalibus Caesaris dictatoris sex milia numero murenarum mutua appendit“. congerendis nummis *Hirrus* per vitam se dedit agris quoque dives et „pecuariis nobilibus“ teste Varrone, Rer. rust. II 1, 2 in *Bruttiis* sitis. casu autem, opinor, factum non est, ut Catullus *rustica* . . . *crura* ei homini exprobraret, qui pecuariis rure habitis nomen meruit. rusticitatem sermonis quoque in *Hirro Hillo* pro *Hirro* pronuntiante illisit Cicero, Epist. II 10, 1.

Relinquitur *Otho* v. 1 *Otonis caput oppido pusillum*, quem priores prosopographicis quaestionibus tractare destiterunt, hominem plane ignobilem dici arbitrati. quidam priorum editorum, ut rationem redderent, cur vir infimae sortis a Catullo hoc loco compellaretur, relegarunt Ellis l. l. p. 185 et W. Kroll l. l. p. 95 ad Caelium de Caesare loquentem apud Cic. Epist. VIII 4, 2 „Caesar qui solet infimorum hominum amicitiam sibi qualibet impensa adiungere“. verum incertum est, cuius generis homines Caelius *infimos* vocaverit, utrum, ut cum Iuvenale loquar, „lenonum pueros quocumque ex fornice natos,“ an libertino patre natos, quorum Horatius fuit. utique persto in

sententia, qua nulli, nisi quorum in publicum prodierit nomen, homines vel extra vitam privatam Catullo noti c. 54 ab eo vellicentur. cum viris senatoriis, Libone ex gente nobilissima et cum Hirro praediorum domino locupletissimo Catullum ignotum quendam sociavisse hominem, in quem ex aequo atque in illos nobiles inveheretur, displicet. accedit quod *Othonis* cognomen, si W. Schulze, Lat. Eigennamen p. 202 probe circumspexit, apud Romanos demum inde ab aetate Tulliana occurrit; quod cognomen raro omnino in usu fuit, in gente Roscia et maxime Salvia obvium, ex qua gente imperator M. Salvius Otho ortus est. Rosciae autem gentis L. Roscius Otho, de quo cf. Realenc. 2. Reihe I p. 1126, 25 Nr. 22, tribunus plebis a. 67 se offert. at aversus Pompeio erat, nec vero aetate neque ulla alia re ad carmen Catulli quadrat. quem autem *Othonem* solo cognomine dictum Cicero in Epistulis ad Atticum saepius commemorat, ne gentilicium quidem nomen eius notum est.

Si me audis, Otho ille, qui a Caesare per feneratorem Fufidium cum Catulli invidia pecuniam accepit, proavus fuit imperatoris Othonis, Salvius Otho, eques Romanus Ferentio Tuscorum ortus, de quo cf. Realenc. 2. Reihe I p. 2029, 40 ss. Nr. 16. qui Suetonio, Oth. 1 teste notabilis fuit uxore humili in matrimonium ducta, incertum an ingenua. atque hunc Othonem a Caesare circa a. 54 stetisse aetate convenientem fastis Catullianis eo probabile fit, quod filius eius, avus imperatoris, M. Salvius Otho in domo Liviae Augustae crevit, cuius per gratiam senator factus est; cf. Realenc. ibid. p. 2034, 57 ss. Nr. 20. denique vel id favet mihi sument, Othonem a Catullo propter caput pusillum illum proavum imperatoris fuisse, quod imperator ipse quoque, praeter quod modicae staturae erat, a capite laborabat, galericulo propter raritatem capillorum usus adaptato et adnexo sic capiti, ut nemo dinosceret; cf. Suet. Oth. 12.

Maculis corporis, quas Othoni, Hirro, Liboni Catullus exprobrat, nulla vitia morum ad res venerias spectantia significantur, neque ullo iure interpretes ut L. Schwabe, Quaest. Cat. p. 224, alii plurimi, de prosopographia virorum a Catullo hoc carmine appellatorum agentes, Caesarem cinaedum corripere putarunt, qui homuncolorum tam deformium familiaritate usus sit. immo similiter atque Catullus c. 52 Nonium in sella curuli visum, cum aegre tulit, „strumam“ longiore insectatione morum neglecta vocavit, quem struma afflictum fuisse nil est

cur dubitemus, sic poeta vitia corporea Othonis, Hirri, Libonis omnibus patentia vituperavit, ne in mores eorum Caesaris liberalitate nimia corruptos inveheretur simul cum offensione imperatoris ipsius. nam c. 54 scripsit Catullus, postquam Caesari propter carmina 29 et 57 irato satisfacit; cf. Suet., Iul. 73 „Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satis facientem eadem die adhibuit cenae hospitoque patris eius, sicut consuerat, uti perseveravit“. item restrinxisse post carmina 29 et 57 Catullum paullatim stimulos adversus Caesarem testatur c. 93 „Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere, nec scire utrum sis albus an ater homo“. hinc intellegitur, cur poeta v. 4 castigationem sociorum Caesaris flosculo: *si non omnia* repente abruperit. quin etiam appellationem Caesaris v. 7 *unice imperator*, in quam carmen exit repetitam ex 29, 11, immerito interpretes ut Schwabe l. l. acerba cum cavillatione dictam esse volunt. nam coloni Galliae cisalpinae quinquaginta annis ante Gallos transalpinos a Caesare subactos Cimbricum Teutonicumque furorem viderant minitantem ruinam regionibus patriis et penatibus Catullorum. itaque Veronensis poeta non potuit aliter de Caesare, provinciam cisalpinam a populis septemtrionalibus defendente, sentire atque Cicero, In Vat. 15 „si iam violentior aliqua in re C. Caesar fuisset, si eum magnitudo contentionis . . . aliquo impulsisset, quod in illo viro et tum ferendum esset et maximis rebus, quas postea gessit, oblitteandum“. quibus verbis de gestis Caesaris in Gallia accedit idem Cicero locutus de Italia pridem identidem a Gallis vastata, iam vero tuta a feritate gentium transalpinarum Caesare imperatore unico: De prov. cons. 33 s. „cum acerrimis nationibus et maximis Germanorum et Helvetiorum proeliis felicissime decertavit, ceteras conterruit, compulit, domuit, imperio populi Romani parere adsuefecit. . . . Alpes iam licet considant. nihil est enim ultra illam altitudinem montium usque ad oceanum, quod sit Italiae pertimescendum“.

Gallisches Gold in Rom

Othos Schädel übermäßig klein,
 Hirrus' bäurisch-halbgewaschenes Bein,
 Libos Blähung, streichend leicht und fein,
 müßten, — wo nicht alles gar an ihnen —
 Deine ganze Ungeduld verdienen.

Und mit Dir der hartgesottne Alte
 sich Fufidius sie vom Leib sich halte!
 Neu zieht sich mein Vers Dein Zürnen zu,
 — schuldlos —, Feldherr, keiner groß wie Du.

III De Caesare aleatore

- c. 57 Pulcre convenit improbis cinaedis,
 Mamurrae pathicoque Caesarique.
 Nec mirum: maculae pares utrisque,
 urbana altera et illa Formiana,
 impressae resident nec eluentur.
 Morbosi pariter gemelli utrique.
 Uno in alveolo erudituli ambo.
 Non hic quam ille magis vorax adulter.
 Rivales sociei puellularum.
 Pulcre convenit improbis cinaedis.

V. 7 *alveolo* substitui pro codicum *lectulo* sive *lectivulo*, cum in archetypo *alveolo* in *lueolo* abiisse suspicer, ex quo corrector insubidus *lectulo* fecerit. certe Catullum *lectulo* non scripsisse, et ars prosodiaca et argumentum carminis clamant. nam quod priores editores ut Ellis, Schwabe, Kroll hiatum in *lectulo* | *erudituli* syllaba ultima vocis *lectulo* correpta defendebant, in polysyllabis vocabulis apud Latinos vocalis longa in hiatus ante vocalem non nisi in arte dactylica hexametri corripitur, ac ne hic quidem aliter atque in figuris ut Verg. Buc. 3, 79 *vale, vale*, | *inquit*, aut in nominibus propriis ut Verg. Aen. V 261 *Ilio* | *alto*, Georg. I 281 *Pelio* | *Ossam*. extra hexametrum occurrit in iambis Hor. Epod. 5, 100 *Esquilinae* | *alites*; verum diphthongus *ae* in nominativo pluralis saepius in hiatus vim resistendi synalophae retinet quantitate minuta, ut Lucr. VI 716 *etesiae* | *esse*; Verg. Aen. III 211 *insulae* | *Ionio*. iam vero diverso loco atque polysyllaba vocabula monosyllaba habentur in longam vocalem vel consonam *m* exeuntia, quae quidem in omni poesi Romana ex numeris cuiusvis generis structa aut per synalopphen eliduntur, aut aequo iure in hiatus corripuntur. sic legitima fit apud Catullum correptio vocum monosyllabarum tam in hexametro c. 97, 1 *ita me di* | *ament* quam in hendecasyllabo c. 55, 4 *te in circo, te* | *in omnibus libellis*. verum 57, 7 *lectulo* | *erudituli* nullum est quo excuses exemplo inauditam licentiam, corruptelamque hoc loco carminis agnoscere necessarium est.

Nam ne id quidem fieri potest, ut refugiamus ad codicis Oxoniensis scriptionem *lecticulo*, quamquam Notae Tironianae sero compilatae *lecticulum* praebent (cf. W. Heraeus, Archiv f. lat. Lexikogr. XII p. 88). nihilo minus per dubiae auctoritatis remanet formatio vocis deminutivae *lecticulus* a *lectus* tractae ad analogiam substantivorum in stirpem *u* exeuntium, velut *versus*, *versiculus*. qua in re vel id velim recolat, rarissima tantum inveniri in latinitate vestigia substantivi *lectus* a stirpe in *o* exeunte deflectentis ad stirpem in *u* desinentem. quae formae collectae sunt apud F. Neue — C. Wagener, Formnl. d. lat. Sprache I⁸ p. 785.

Excussi res prosodiacam et grammaticam, quas excussisse paene supervacuum erat ad restituendum textum Catulli; nam argumentum carminis neque *lectulo* neque *lecticulo* tolerat. immo lectiones traditae codicum non solum pugnant adversus leges prosodiacas et grammaticas, sed peccant etiam in obscurando sensu et acumine totius poematis. cuius poematis argumentum in catalogo vitiorum Mamurrae et Caesaris consistit, qui viri ab omni parte acerbissime vituperantur. attamen v. 7 „uno in lectulo erudituli ambo“, si *lectulo* vel *lecticulo* retinueris, periculum est, ne laus aliqua cinaedis improbis tribuatur. qui versus qualem codices exhibent, vix aliter nisi sic intellegi potest, ut Caesar et Mamurra in uno lectulo cubantes studiis litterarum per se honestis se dedant. nihilo minus interpretes priores omnes *lectulo* sive *lecticulo* tolerantantes recta via processisse insuper ideo sibi videbantur, quia Catullus praefectum fabrum Caesaris Mamurram carmina fecisse ipse testatur, etsi ea sprevit c. 105 „Mentula conatur Pipleum scandere montem; Musae furcillis praecipitem eiciunt“. unde accidit, ut R. Reitzenstein, interpres musae Catullianae cum poesi Alexandrina cohaerentis vigilantissimus epigrammatis graecis quibusdam in comparationem vocatis carmen 57 sic explicaret Realenc. VI p. 102, 9 ss.: „c. 57 ist gedacht wie eine Unterschrift unter ein Bild Caesars und Mamurras, die dichtend auf einem Pfühle liegen.“

At in explicando toto carmine exordium explicandi ab eo versu sumere nefas est, qui unicus a ratione omnium reliquorum abhorret, cum a lacerandis Caesare et Mamurra paulisper desistat. qui versus 7: „uno in lectulo erudituli ambo“, cum Ricardo Reitzenstein relatus ad Caesarem et Mamurram carmina laudabiliter pangentes, medius ponitur inter antecedentes versus sex et inter sequentes tres, de quibus omnibus

novem unusquisque Mamurrae et Caesari perpetua stigmata imponit; qui quidem viri vocantur v. 1 improbi cinaedi, v. 2 pathici, v. 3 ss. maculati conventu creditorum, v. 6 gemelli morbosi, v. 8 Voraces adulteri, v. 9 rivales sociei puellularum, v. 10 improbi cinaedi. itaque optimo iure in interpretatione a Reitzenstein temptata totius carminis acquiescere abnuerunt post eum editores critici. atque cum versui 7 relectam saltem aliquam irrisionem Caesaris et Mamurrae subesse suspicio instaret, W. Kroll cum aliis editoribus rem sic absolvendam esse sibi persuasit, ut sententiam: „uno in lectulo erudituli ambo“ non solum ad artem litterarum, sed etiam ad artem pedicandi in uno lectulo exercitam traheret l. l. p. 102: „Zweifellos ist bei diesem Verse 7 der obszöne Sinn; Catull deutet an, daß Caesar und Mamurra von einander und an einander die ars paedicandi gelernt haben . . . Aber erudituli mag auch auf ihre literarische Interessen gehen, die von Caesar bekannt genug sind, für Mamurra durch c. 105 bezeugt werden.“

Apparet, quantas turbas interpretibus Catulli iniecerit lectulus Caesaris, in quo cum cubant imperator et praefectus verbi caussa Platonis Convivio gavisus, Caesar Alcibiadem agat, Mamurra Socratem, nedum Nicomedem. pudet imaginis Catullo indignae, ei ab iis impertitae, qui foedo hiatu *lectulo erudituli* non expergefatti textum traditum emendare super-sedentes perstiterunt defendere facetiis male doctis. quibus reiectis meum est, impurum lectulum Caesaris ex Catullo remove item ut struthocamelum ex Catullo pridem removi struthis sive passeribus Catullianis a tectis ad me pipiantibus. quid erudituli c. 57,7 valeat, nec Mamurra arte poetica parum eruditus Catullo visus docet nec Caesar litteris potentissimus, sed Calvos poeta Catullo proximus, qui Curium, Antonii consensorem et collusorem ex Cicerone, Phil. V 13 notum, aleonem famosum, hendecasyllabo eleganti ab Asconio, In Cic. orat. in tog. cand. tradito increpuit: „et talis Curius pereruditus.“ unde cognoscitur, *eruditus* adiectivum non solum in bonam partem a Latinis adhiberi, sed etiam in malam partem de aleatore callido et vafro. ut Calvos in Curium, sic Catullus iambis c. 29 in Caesarem aleonem, talorum cupidum, semel atque iterum invectus est v. 2 et 10: „es impudicus et vorax et aleo.“ aleator eruditus desideratur maxime in hendecasyllabis c. 57, quod carmen quem catalogum vitiorum Caesaris et Mamurrae continet, is integer futurus non est, nisi si *aleolo* pro *lectulo* sive *lecticulo* reposito aleator Caesar locum sibi vindicat.

Die Schelmen-Kinaeden am Spielbrett

Wie herrlich stimmt's mit den Schelmen-Kinaeden,

Mamurra und Caesar, pervers in der Lust.

Kein Wunder! Schon dieses trifft sich für jeden,

daß jeder Bankerott hat zu machen gewußt.

Dies Schandmal ist jedem am Heimatsorte,

zu Rom und zu Formiae eingebrannt.

Dazu sind sie Lüstlinge krankhafter Sorte,

ein Zwillingpaar, das sich selber entmannt.

Was sonst noch? Ein Spielbrett hält beide zusammen

raffiniert und schlau bei dem Würfelbecher.

Und endlich steht jeder von beiden in Flammen

als geiler, gieriger Ehebrecher.

Hört weiter! Diese Rivalen im Huren,

oft jagen im Bund sie auf gleichen Spuren;

das gleiche Liebchen bedient oft jeden:

So herrlich stimmt's mit den Schelmen-Kinaeden

Valedicimus Caesari et praefecto fabrum eius yesperascente caelo aut noctu castris ad Rhenum collocatis in tentorio ad alveolum cubantibus talisque ludentibus, ut animus fert militum in expeditione tendentium. at Mamurra noctu tantum ludebat, interdium pontem fecit in flumine cum gloria artis suae, quae singularis putanda est, etiamsi Catullus machinatorum ingeniosum versiculis obscaenis prosciderit. Caesar autem imperator unicus etiam interdium lusit; *iacta alea est*, a Suetonio, Iul. 32 in ponticulo Rubiconem transgressus dixisse dicitur. nec tamen verum hoc rettulit Suetonius, nec Caesar de re itura ad arma decisum esse dicto firmavit cohortatus palam cohortes, ne trepidarent vim Pompei caussamque senatus; dixitque graece coram intimis et aliis et Asinio Pollione: ἀνεπίφθω κέρβος teste Plutarcho, Vit. Pomp. 60 p. 121, 4 ss. Lindskog et Vit. Caes. 32: „iactam aleam volo“; nimirum aut corde volutans, quam periculosae plenum opus aleae essent arma civilia, aut bene sibi conscius, magnum virum aleatorem nasci¹⁾.

Bonnae ad Rhenum

Ernestus Bickel

1) De imperativo perfecti passivi Graecorum a Caesare adhibito quid valeat vi propria apud Graecos, cf. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. I p. 192. Erasmus ed. Suet. (1544) reddendum esse arbitratus est graecum Plutarchi latine *esto* pro *est* scripto, assentiente A. Otto, „Die Sprichwörter der Römer“ p. 12 s. at latinus quam *iacta alea esto* puto quod posui in textu *iactam aleam volo*. nam quem usum verbi *volo* iuncti cum participio perfecti passivi Kühner, Lat. Gramm. II p. 528 luculenter illustravit, is usus mihi imprimis aptus videtur ad formationem Graecam, absentem a lingua latina, imperativi perfecti passivi exprimendam.